

ANTONII PEREZII J.C.

S. C. & R. Majest. Consilarii, in
Academia Lovaniensi

JURIS CIVILIS ANTECESSORIS,
INSTITUTIONES
IMPERIALES
EROTEMATIBUS,
DISTINCTÆ,

Atque ex ipsis principiis regulisque
Juris, passim insertis, explicatæ.

EDITIO NOVISSIMA

*Post varias Editiones externas denuò re-
visa & à mendis purgata ad Exemplar
originalis Lovaniensis.*

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: Apud Michaëlem Escribano.
Anno M.DCC.LXXVI.



I
ANTONII PEREZII J. C.

S. C. & R. Majest. Consiliarii, &c.

AD LECTOREM

PRÆFATIO.

IN Lucem evulgamus, benigne Lector, nova Institutionum Erotemata. Quid hoc, ais, novi? Nonne Cujacius, Julius Pacius, Marcellinus, Vultei, alique viri præstantissimi, Notas brevesque expositiones edidere? Fateor. Sed illi sibi, aut solum doctis scribere se profitentur. Ego verò ad omnes hujus mei laboris fructum aliquem pervenire cupio; eoque ita rudiores institui, ut doctis quoque non improbetur. At, inquis, scripsit & nuper Wolsius Erotemata, sæpius recusa. Sic est: sed nuda sunt, vix ullam in iis textus rationem subjunxit. Hic verò sensa textus, ac Juris Regulas permixtas habes, itemque rationes ex principiis Juris depromptas: quæ si minus placeant, reprehendendi sunt Juris nostri Conditores, atque optimi hujus ævi Interpretes, è quorum hortis hos flores decerpsi. Quod inusitatum videri non poterit: præcipit enim Fabius, apes nobis imitandas, quæ diutius vagantur, ut flores carpant; postea, quidquid collegerunt, disponant, savisque suis inferant, ac secum tandem proprii oris

3

SUMMA PROOEMII JUSTINIANEI.

Quid sunt Institutiones?

SUNT Legalis seu totius legitimæ scientiæ prima elementa, (1) in quibus breviter expositum est jus, & quod antè obtinebat, & quod de consuetudine inumbratum Justinianus in usum revocavit. Dictæ Institutiones, quasi instructiones elementariæ, ad doctrinam altiorem, & difficiliorem.

Quando compositæ?


Id constabit, si observaveris, quo ordine Jus omne vetus digestum fuerit, & in lucem exierit. (2) Nam cùm id antè diffusum confusumque nimis esset, Justinianus in luculentam erexit consonantiam.

Igitur indictione 7. anno imperii sui tertio, Codicem unum Constitutionum Imperialium edidit. Anno quinto post, nimirum Indictione 12. in libros 50. Digestorum immensa veteris prudentiæ volumina digessit. Ex quibus, ac præcipuè ex Commentariis Caii, hasce Institutiones compilavit. Deinde,

A 3

dè,

(1) §. Igitur in Proœmio. (2) §. Omnes.



INSTITUTIONES
 IMPERIALES,
 EROTEMATIBUS
 DISTINCTÆ ET EXPLICATÆ.

LIB. I. TIT. I.

DE JUSTITIA, ET JURE.

Quid est Justitia?

EST constans & perpetua voluntas jus
 suum cuique tribuendi. (1) Hoc est,
 est habitus, quo perpetuo & firmo
 judicio voluntas facile & promptè
 fertur, ad tribuendum cuique suum;
 quod est officium hominis justì, &
 ipsius Justitiæ opus.

Quæ Justitia hîc desinitur?

Particularis, seu quæ privatim ad alium refertur,
 quæ-

A 4

(1) *In pr. b. & l. 10. b. tit.*